

π 7
910



MA
B

E

M

A

Imy

~~748~~ PK 541, 78. h. M. II, 702
BERNHARDI GUILIELM
NÜSSLERI

ENCOMIUM
ARANEI.

*confer H. Rozarium
l. 2. p. 100.*

Ad

MAGNIFICUM ET NO-
BILIS^{UM} VIRUM

ANDREAM GEIS-
LERUM.



LIPSIAE,

Impensis hæredum Joan. Eyringij
& Joannis Perferti Bibliopolæ
Wratislaviensium.

ANNO M. DC. XIX.





M

ANN

PO

AULA

Illustr

num

CON

D

MOE

Hoc

ERN

MCMXV

ANNO

MD

QUINTUS ET NO

PIETAS

JOHANNES GERTS

LE



JOHANNES

APPAR

pendens natusque Joan. F. ingli

& Joannis Petri Bibliopae

Wartslavienum

MCMXV





MAGNIFICO ET NO-
BILIS^{mo} VIRO

ANDREÆ GEISLERO

POLSDORFFI ET GOLS-
DORFFI DOMINO

AULÆ CÆSAREÆ COMITI

*Illustrissimorum P. P. & Ordi-
num Silesiæ, nec non Ducum*

LTGIO-BREGENS,

CONSILIARIO ET ORATORI,

Ducatus Lignicensis

CANCELLARIO,

MOECENATI DOMESTICO

*Hoc adfectus & observantiæ
monumentum.*

O. D.

BERNHARDUS GVILIEL-

MUS NÜSSLERUS,

A 2

Non

EPISTOLA



Non operosè ratio mi-
 bi reddenda esse vide-
 tur, VIR MAGNIFI-
 CE, cur in tanta am-
 plissimarū rerum se-
 gete, Araneum, vile & noxium,
 ut vulgò audit, animal, selegerim,
 in cuius laude recensenda industri-
 am meam occuparem, Vt enim
 taceam, nihil in pulcherrimo hoc
 universo tam aut contemtibile, aut
 perniciosum reperiri, quod non
 commodo aliquo generi humano se
 probet, etiam Viri, quæ prisci, quæ
 recentioris ævi humaniores literas
 doctissimi exemplo suo præiverunt,
 ne semitam hanc calcare timerem.
 Ita enim primus ille doctrinarum
 & antiquitatis Parens Homerus
 βαλεγχουνομαχίας lusit, & Asellius
 Sabinus in dialogo boleti & ficedu-
 le,

le, &
 duxi
 CC P
 Alcia
 tis em
 terea
 cian
 nimi
 inger
 jam
 to vi
 inpr
 bone
 cile
 oblit
 celle
 cont
 vide
 mole
 stud
 men

DEDICATORIA.

la, Et ostrea Et turdi certamen in-
duxit, cujus rei grande pretium
CC HS. à Tiberio Imperatore tulit.
Alcidamas verò Eleates etiã mor-
tis encomium, Polycrates murium,
teredinis Clitarchus, musca Lu-
cianus, aliorum alij scripsere. Fuit
nimirum omni seculo liberalissimis
ingeniis hoc in more positum, ut et-
iam in tenui Et despiciato augumẽ-
to vires suas periclitarentur; cum
in primis hoc exercitiũ genere neq;
bonestius ullum, neq; amœnius fa-
cilẽ excogitari possit. Etenim eo ab
oblivionis vilitate vindicantur ex-
cellentia Nature dona, in cuius
contemplatione nihil supervacuum
videri, etiam Plinius prodidit, Et
molestia præterea, è gravioribus
studiis orta, ceu grato quodam fo-
mento edulcatur. Itaq; Et ego se-

EPISTOLA

riis studiorum defunctus frequen-
 ter ad amœniora hæc, tanquam ad
 portum faciliorem confugio, & a-
 nimi intentionem paulisper remit-
 tens, inq̄ amplissimum hunc mun-
 di campum exspaciens, DEI Con-
 ditoris opera non modò vehemen-
 ter admiror, sed & eorum contem-
 plationi non segniter & cum ju-
 cunditate quadam incumbo. Quia
 enim otij non minus, quàm negotij
 rationem reddendam esse scio, sem-
 per ego studio id mihi maximo ha-
 beo, ut, dum nihil serij ago, etiam
 nihil mali agere discam. Hinc factum
 est, ut Aranei encomium ordi-
 rer, quod etiam cum bono DEO per-
 texui, & Tibi Mæcenas Nobilif-
 sime inscripsi. Neq̄ veritus sum,
 ut dica mihi impingeretur, quod
 tantillum animal tanto Viro offer-
 re au-

re au
 ryphe
 gè m
 Aug
 Sed
 ad a
 quip
 Libe
 non
 rer,
 le hu
 um p
 N
 natu
 mei
 ritis
 logu
 & v
 dam
 am
 lucu

re au-

DEDICATORIA.

re ausus sim, cum ille Poetarum Coryphæus Maro Cubicem suam longè minoris estimij animalculum Augustissimo Cæsarium dedicavit. Sed & iure prisco adactus sum, ne ad alium, quam ad Te irem; Eo quippe, cum cautum sit, ut omnes Liberti opere Patrono cedant; ego non immeritò intervortisse viderer, quod Tibi debebatur, nisi opelle huic meæ clarissimum nomen tuum præscripsissem.

Nam & domi tuæ conceptus & natus est qualis, qualis iste ingenij mei fœtus, & tantis præterea meritis me affecisti, ut si eorum catalogum hic texere instituerem, face & viatico opus foret ad decurrendam tam proluxæ narrationis viam. Absq; bis etiam si esset, cur lucubratiunculas meas Tibi conse-

EPISTOLA

*crarem, communem tamen cum omnibus ijs causam adferre possem, qui virtutem Eruditioni raro, sed felici consortio junctam, venerandam esse contendunt. Tu enim amplissimis ingenij & judicij dotibus, quibus etiam literarum & sapientie laudem adjecisti, ad id honoris & glorie fastigium Te penetraſti, ut non modò Silesia nostra Te instar Mercurij sui observet, sed etiam Principes, Reges, Imperatores amplissimis honoribus certatim extollant. Ne enim de Illustrissimis Ducibus LYGIO-BREGENSIBUS quid dicam, quorum peculiare audis oraculum: Rudolphus certè Sacratissime memorie Imperator, adeò se deliniri passus est, ut quæ Principes & Status Silesie per Legatos TE Oratore, rogabant (inter quæ
pre-*

*pre-
 mur
 me c
 Cael
 quia
 hab
 gust
 xisse
 diffi
 care
 plica
 satis
 sua
 da e
 cij E
 dō l
 nat
 le c
 lum
 tem
 amp*

DEDICATORIA.

præclara illa religionis auctoritas primum locum obtinet) clementissimè concederet. Et si enim propitio Cælo in primis imputandū est, quicquid hoc est felicitatis, fateri tamē habemus, DEUM OPT. MAX. Augustissimi Cesaris mentem ita flexisse, ut precibus per Te oblati, non difficulter annueret, Et in solido locaret afflictum turbatumq; Reipublicæ Statum. Quod tamen non satis fuit benignissimo Principi, sed sua quoq; virtuti præmia decernenda esse statuens, Te perspecta iudicij Et ingenij tui bonitate, non modò Illustri Consiliarij sui honore ornavit, sed etiam sponte sua nihil tale cogitanti Palatini Comitiss titulum obtulit, quam deinde dignitatem MATTHIAS Augustus addito amplissimo virtutum tuarum testimonio

A 5 monio

EPISTOLA

monio auxit & confirmavit. Fam-
 tua in Patriam merita, si vel deli-
 bare velim, vereor, ne rem auda-
 cia & impudentia plenam aggredi
 videar, cum omnes nostri impares
 se fateantur, ut ad eam laudem,
 quæ beneficiis tuis debetur, aspira-
 re possint. Duodecim enim, easq;
 difficilimo tempore legationes ad
 Invictissimos Imperatores RU DO L-
 PHUM & MATTHIAM non modò
 animosè obiisti, sed etiam rebus fe-
 liciter expeditis Libertatem, Reli-
 gioni, Pacem Patriæ cum immor-
 tali tuâ gloria retulisti. Hinc illa
 totius Silesiæ pro tua salute vota,
 quæ si rata esse jubebit ille DEUS,
 qui tantum depositum terris nostris
 indulset, nescio, quid spe majus pol-
 liceri nobis debeamus. Sed de sinam
 ego laudum Amplissime GEISLE-

RE,

RE,
 Gra
 dig
 inco
 liti
 non
 sup
 lau
 ad
 cien
 riis
 ten
 sect
 les
 tui
 diis
 tam
 tam
 nis
 ade
 men

DEDICATORIA.

re, cum & infantia orationis no-
strae longè infra meritorum tuorum
dignitatem subsideat, & homines
incomparabilem tuam in omni po-
litiore literatura scientiam, nec-
non ingenium & eloquentiam penè
supra mortales, prius defessi sint
laudando (usurpabo illud Sallustij
ad Caesarem) quam ipse digna fa-
ciendo. Hoc tantum à Te votis se-
riis contendo, Araneum hunc meum
tenue quidem & odiosum vulgò in-
sectum ne fastidias, sed patiare exi-
les quasdam stricturas splendoris
tui eum illuminare, nam & Sol ra-
diis suis loca sordida illustrat, neq̃
tamen inquinatur. Te quidem in
tam magnifico honoris & eruditio-
nis fastigio constitutum religiosius
adeundum esse non nescio; quia ta-
men Dii (liceat mihi Gentiliur

EPIST. DEDIC.

verbis loqui) cum ijs thure non fit,
etiam lacte non indelectantur, ideo
Et ego exiguum hunc laborem me-
um Tibi non ingratum fore confido
Et opto. Cujus voti si me compo-
tem facies, Et votoriam hanc ta-
bellam nominis tui templo dicatam
non aspernabere,

Sublimi feriam sidera vertice.

Vale. Vir Magnifice! Inco-
lumen Te servet Ecclesie, Reipubli-
ce, Nobis Antiquus ille dierum, qui
supra nos negotium curat. Lignici
Silesiorum in edibus tuis KL,

Novembris, ANNO

MDLXXIX.



De

De Aranei Encomio

BERN. GVLLIEL.

NÜSLERI.

Cura quid ingenij, eloquij quid gra-
tia possit,

Monstrat ARACHNEÆ nobile lau-
dis opus.

NÜSLERI istud opus, Quod & arguit
insuper horum (hil.


Quæ natura patrat, laude carere ni-
Sic aciem ingenij, eloquij sic exerat
usum;

Et mihi NÜSLERUS non nisi ma-
gnus erit.

M. Simon Grunæus Lig.

*& Vol. Ecclesiarum Su-
perintendens.*

AD



AD

BERNHARDUM

GUILIELMUM NÜSSLERUM,

eximium & eruditissimum adolescen-

tem, cum Araneum suum

ederet.

AT nobis intempestivis aurea curis,
Succumbens nimiâ mole, juven-
ta perit.

Ingenio Sors fausta tuo contendit, &
æquat

Virtutes rerum dexteritate tuas.

Hinc tam rara tuæ legimus præconia
famæ,

Doctrinâ imberbes exuperante dies.

Nam seu Socraticis traducis tempora
chartis;

Æstuat in lepidis Attica tota jocis.

Seu, melius nobis quondam obvia nu-
mina, Musas

Sollicitas; cultis proditur Ascra
modis, (ges;

Sive ad tentatas toties mihi vertere le-

Castrea haud alium mallet amica
procum.

Quic-

Quic

Et

Addo

Hic

Vile

Ab

Stam

Te

Trist

Ci

Nunc

Ju

Aster

Et



Quicquid agis, teneris lectori imponi-
tur annis,

Et, jam vix juvenem, credimus esse
senem.

Adde quod abjectis querens nos falle-
re curis;

Hic quoque dissimilis non potes es-
se tibi.

Vile quidem, hoc nemo non fassus,
Aranea; sed tu

Absolvis lingue dexteritate tue.

Staminis artifices nebule volitantis, &
umbra

Tele fit cœli liberioris opus.

Triste opere pretium Colophonia
Nympha tulisti,

Cū doluit radiis victa Minerva tuis.

Nunc & per damnum, tam docto vin-
dice, crescis:

Judicio Pallas concidit ipsa suo.

Asterien jam nemo tuam non novit,
Arachne,

Et Ledam, tanti nonne perire fuit?

Martinus Opitius ex

animo scripsi.

ENCOS



ENCOMIUM ARANEI.

NON immeritò cordatis
viris cecutire videntur illi ho-
mines, qui sinistro opinionum
vento abrepti humana indu-
striae monumenta majoris estimanda pu-
tant, ac ea, in quibus communis rerum pa-
rens natura se exercuit. Putatis enim u-
trinque argumentis, & collatione rerum di-
ligenter institutâ, patebit, ni fallor, natu-
ram non modò non esse inferiorem arte, sed
etiam multis, quod ajunt, parasangis eam
anteecedere. Quippe, ut dicam, quod li-
teratissimi homines sentiunt; & inaequale
est & incertum, quod arte usuque discimus;
natura verò dona neque tarda sunt & varia,
neque incerta, sed ex aequo veniunt, quibus-
cunque distribuuntur. Sunt præterea tan-
ta & tam varia solertia plena, ut qui ul-
lam artem, ullam manum aut artificem ea
imitando consequi posse sentiat, is nihil
omnino sensurus esse videatur. Cum in

omnis

omnis
tum n
nima
subtil
tur.
bume
ad leo
mus,
li ing
in gra
pote
in mi
bic fe
caru
Arane
natu
dissim
inter
tissim
ad so
virtu
tio, q
debit
noxia
poter
am,

ARANEI.

omnis generis animalibus hoc videre est, tum nullius spectatius nature artificium animadverti potest, atque in illis immense subtilitatis animalculis, quae insecta vocantur. Suspicimus quidem elephantorum humeros immenso oneri ferundo pares, & ad leonum insuperabilem vim parè stupeamus, non tamen cum insectorum admirabili ingenio certare possunt, propterea, quod in grandiori corpore facilius aliquid fingi potest; natura verò nunquam alibi, quam in minimis tota deprehendi amat. Nolo hic felicem apum rempublicam, aut formicarum insignem industriam commendare, Araneum saltem intuemini, quicumque de natura praestantia dubitatis. Neque enim dissimulare possum quod sentio, nullus est inter mortales, qui paria faciat cum eruditissima ejus operatione; paucissimi verò, qui ad solertiam & reliquas, quibus excellit, virtutes, accedere possint. Hec mea assertio, quia multis aut dubia, aut insolens videbitur, ideoque variis obrectationibus obnoxiam fore praesentio, annitar, quantum potero, ut planam ex Aranei encomio faciam, neque arti naturam cedere, neque in de-

B

spectis=

E N C O M I U M

Spectissimi animalculi contemplatione,
 quicquam supervacuum videri. Quia ve-
 ro multi generis nobilitatem non habentem
 in super putant, sed vel in primis suspi-
 ciendam; necesse est, ut Araneus noster te-
 lam de sua origine texere incipiat, quam
 honestam juxta & laudabilem cense-
 re, nemo diffiteri potest. Non ego hic Poetas
 moror mendaciorum architectos, qui Arach-
 nen, nescio, qua arrogantia elatam, & cum
 Pallade certare ausam, poena loco in Arane-
 am fuisse conuersam fabulantur. Quia
 enim illis fingendi, &

Quidlibet audiendi semper fuit equa
 potestas,

Idcirco etiam hic illustrem verita-
 tem falsimonia sua contaminarunt, cum in
 propaculo sit, praestanti praeceteris ani-
 mantibus ortu Araneum provenire. Non
 enim est coeno, ut Scarabaeus, non est putrefa-
 ctione bovis, ut apis, non in animalium pi-
 lis, ut pulex aut pediculus oritur; sed a pa-
 rentibus longè solertissimis prognatus, eo-
 rumque incubatu aliquantulum fetus, exem-
 plo suo confirmat, est bonis parentibus bonam
 itidem sobolem gigni. Utque ejus genera-
 tionem paullo altius describamus, sciendum
 est,

est, coi
filum a

ter sep

mi sep

consum

inde, l

similes

liqui t

N

qua pr

boles su

ampat

us in s

fiore; e

textit, v

nit, ut

hoc qu

majori

ope secu

re ac p

ova for

habet a

quaren

donec i

sit. Qu

ARANÆI.

est, coire etiam Araneos, & fœminam per filum ad se trahere suum marem.

Totum autem generationis opus quater septenis diebus perficitur, ex quibus primi septem post initum dies concretioni & consummationi ovorum inserviunt, ea deinde, sive ova sint, sive vermiculi ovorum similes excludunt, quorum incubationi reliqui tres septeni sunt destinati.

Nequeo hic præterire sollicitam curam, qua providere diligentissimè solent, ne soboles sua detrimentum aliquod aut injuriam patiantur. Exponunt eam in tela, alius in subtili & brevi, quidam verò in crassiore: est etiam, qui vel sinum orbiculatum textit, vel telâ suâ tam exactè prolem munit, ut ne minima sui parte ledi possit. Sit hoc quasi incitamentum parentibus, ut eò majori animo liberos suos prosequi, & omni ope securitati & commodis illorum consulere ac providere discant. Quid? quod & ova fortuito perditâ, non modò non insuper habet Araneus, sed etiam tam anxio labore querens tam diu perreptat omnes angulos, donec inventa ore suo ad nidũ reportare possit. Quàm dissimilis est hominum nostrorũ

ENCOMIUM

cura, qui magis catulorum ineptiis, quam liberorum amore afficiuntur, quo Sobolis neglectu faciunt, ut Rempublicam, quam frugi, & meratam à majoribus acceperunt, sordidam & flagitiis inquinatam posteris suis relinquunt.

Verum enim verò, priusquam longius progrediar, opera pretium me facturum confido, si Araneorum genera, quae variè à variis numerantur, investigare ac recensere coner. Est enim non nemo, qui nos vem, alius, qui quatuor eorum genera constituit, hic venatione, magnitudine, colore & operum varietate distinguit, alia commenta alij in medium proferunt. Nos Aristotelem & Plinium accuratos naturæ venatores secuti, tria tantum genera facimus, quorum primum Phalangium appellatur, noxium morfu, & assultiva ingrediens, Luporum nomine secundum indigitatur, quorum minimi non texunt, majores vero asperam prædamq; telam apud terram aut sepes ordiuntur.

Tertium verò genus, in cuius laude describenda nos jam desudamus, non tantum reliquis omnibus præstat, sed etiam so-

lertia

lertia
genera
initia
que se
morta
ris est

salire

Mis

& lat

nitati

mona

in ip

gredi

Impe

à sup

dibus

lis vi

curis

mille

Philo

nam

litati

tuna

calan

& bi

ARANEI.

lertia & sapientia sua invidiam humano generi facit. Quàm vero præclara vitæ initia Araneus habeat, jam ante patuit, quæ felicitas, etsi non postremum DEI immortalis donum est, hoc tamen longè majoris est astimij, quod statim ab ipso ortu non salire tantum, sed etiam laborare solet. Miserrimos homines! Araneus saliens & lætitiâ plenus nascitur, homo, illa divinitatis imago, ille DEI vicarius, ille terræ monarcha in lucem ad lacrymas, & quidem in ipso vitæ initio natus neq; stare, neq; ingredi, neq; loco se movere potest: Ille qui Imperator reliquorum animalium audit, à suppliciis vitam auspiciatur, manibus pedibusq; devinctis; quadrupedi deinde similis vix reperere novit, & nisi assiduis suorum curis & infinitis molestiis sustentaretur, mille mortibus quotidie periret. Hinc & Philosophus interroganti cuidam, quidnam homo esset? verè respondit: Imbecillitatis exemplum, temporis spoliolum, fortuna lusus, inconstantia imago, invidia & calamitatis trutina, reliquum verò pituita & bilis.

Quid vero illud, & quo numero habens

ENCOMIUM

bendum? quod Araneus vix editus filam it-
 tit, & eruditam operationem sponte sua or-
 ditur. Ne hic iterum homini miseriam su-
 am exprobre, qui aliquot à nativitate sua
 annis ne minimum quidem laborem obire
 potest, certè sapientissimo naturæ consilio
 hoc factum videtur, ut in Araneo parentes
 admoneat, ne otio, quod mortem & vivi ho-
 minis sepulturam Seneca vocat, liberos suos
 torpere sinant, sed à teneris ad industriam,
 & illam, ut Græcis eleganter dicitur, Φιλο-
 πονία, assuefaciant. Non enim Viri, sed nec
 hominis nomine dignus est, qui sudorem ex-
 borret, generosus animus & in laboris nu-
 tricatu eductus neq; asperum quicquã, neq;
 imperviũ sibi putat: vigilando, agendo an-
 nititur, quantum potest, ut in juvenute ea
 sibi paret, quæ senili ætati sint proficua,
 quod Democritus innuere voluit, qui ado-
 lescentem industrium conspiciens eum senes-
 citati obsonium condere dixit. | Intuemini
 nunc sultis Aranei formam faberrime effictam
 & operi suo in primis aptam? Rotundum
 est ei corpus, quæ forma ullam negat esse pul-
 chriorem, ille non dicendi solum, sed etiam
 intelligendi gravissimus Autor & Magister
 Plato.

Plato
 liquid
 & D
 sed om
 qua u
 Pe
 exigui
 gulari
 omni
 operis
 nei; i
 intern
 & cap
 quæ or
 oculor
 homin
 supera
 ampl
 & sui
 nacti
 tis, q
 praela
 tantu
 exorn
 tutes
 tamen
 consis

ARANEI.

Plato, Nam & hæc figura ad capiendum aliquid longè omnium est accommodatissima, & DEUS quoque non modò cælum & stellas, sed omnè etiã mundũ hac formã figuravit, qua unã reliquæ omnes formæ concluduntur.

Pedes verò quos octo habet, quàm sunt exigui & teretes, quàm etiam firmi! Singulari scil. providentia sapientissima rerum omnium mater natura ita eos disposuit, ut & operis, subtilitati, & venature essent idonei; ideoque singulum quemque pedem tribus intermodis firmavit ne in vestigiis figendis & capiendis animalculis labare possent. Tã quæ oris aptitudo? quæ gustatus ratio? quæ oculorum acies? quã eximius tactus? quo hominem non equat tantum, sed verò longè superat. Summatim dicã, quia in tantã rerũ amplitudine omnia dici nõ possunt, exactã & suis numeris absolutam corporis figurã tactus est; quæ tantò majoris est dignitatis, quanto nobilior est hospes ille, qui tam præclaram domum incolit. Nullius enim tantum est flumen ingenij, quod, non dicam exornare, sed narrare tantum ejus virtutes & ingenium explicare possit. Et tamen hæc omnia in tam parvo corpusculo consistunt, illustri natura documento, non

ENCOMIUM

omnia in vastitate & membrorum mole si-
ta esse, sed habere etiam minima animal-
cula aliquid, quo praeter ceteris magni aesti-
mari debeant.

Quod, ut manifestius fiat, considere-
mus paulisper admirabile Aranei ingeni-
um, quod in textura ejus clarissime elucet.
Sed hic primo omnium de materia telar-
um, unde ea tam multiplici operi suffici-
at, tam varie ab Authoribus disputatur,
ut vix liqueat, cui assensum nostrum pre-
bere debeamus. Democritus excrementum
alvi & corruptam ejus naturam esse statu-
it, quae innumeris telis materiam suppedi-
ret; Sed credo eodem veritate hoc dicit,
quae olim ad alia noxij hominis e capite ossa,
plus prodesse, ad alia amici & hospitis scri-
psit. Alius, quasi opitulaturus Democri-
to, non quidem ex alvi corruptione, sed ex
aeris in conclavibus contenti putrefactio-
ne Araneum opus suum texere opinatur.

Sed & haec sententia non usquequaque
nobis sufficit, quia in multis conclavibus,
quae diu fuere occlusa: pauca tamen tela re-
periuntur: & si maxime verum esset, e
corruptione eas oriri, nihil tamen de dignis-
tate

tate
gnat
Arist
vere
ritat
extr
aut
tur,
reliq
dam
per
dere
qua
men
exer
um
stru
cum
quo
tium
am
lut
ne
si L
fibi

ARANEI.

tate Aranei decederet, cum natura nihil gignat, nisi ea lege, ut aliquid corrumpat. Aristoteles verò & Plinius, qui longè reverentius de eo senserunt, proximè ad veritatem collimasse mihi videtur; alter enim extrinsecus de suo corpore veluti corticem, aut more eorum, quæ suos villos jaculantur, ut bystricis, fila mittere, scriptum reliquit: alter verò intus lanigeram quãdam fertilitatem esse putavit, quæ tanti operis materia sufficeret.

Ut ut sit, certum est, ex Araneo prodere innumerum illum telarum numerum, quæ res, etsi planè est mirabilis, nihili tamen sit ab hominibus malè feriatis, qui, ut exemplo suo probent, nihil esse tam egregium, quod livor non suggillare soleat, Nostrum, quod ex se fila texit, non verentur cum Hereticis, & ipso Diabolo comparare, quod & hi ex se texant mendacia. Id potius egit, provida solersq; natura, ut egregiam Aranei & Sapientis similitudinem velut in speculo representaret. Ut enim Araneus, quem & Aristoteles Philosophia quasi Deus quidam sapientissimum vocat, ipse sibi ad opus suum sufficit, nec auxiliis ali-

E N C O M I U M

unde accersitis aut ope precaria utitur; ita sapiens sibi ipse satis est, ipse sibi fortunam fingit, eamque maximam sapientia laudem statuit, non se rebus, sed res sibi submittere, nec extrinsecus aut male aut bene vivendi suspensas habere rationes.

Araneus etiam expulsus nido suo, & dejectis operis, nihil tamen perdit, sed omnia sua secum portat, quia hoc sapientis est, & à sapiente Bia olim factitatum, cujus cum patriam Prienem hostis cepisset, ceterisque in asportanda re sua occupatis, ipse quoque, ut idem faceret, admoneretur; ego vero, inquit, facio, nam omnia mea mecum porto. Non enim aestimare debemus externa illa, quae nos bona, Philosophi fortuna ludibria vocant, sed de animi mente solliciti eam dotibus suis exornare studeamus. Araneus vero ejectus, non patriam suam eicitur, sed loco. Quocumque enim migrat, ibi habitat, & telam suam domumque orditur. Non aliter cum sapiente comparatum est, qui in quamcumque terram venit, in suam venit; cum non eam sibi patriam, putet, quae nascentem excepit, sed quae se benignè fovet & sustentat. Ad summam, ut Araneus, ita &

Sapia

Lib

rissi

& in

Et si

tam

ut c

rum

quic

gner

stan

cui

text

tulu

fila

tum

diun

pit,

nè M

min

acti

Post

&

ARANEI.

—Sapiens, uno minor est Jove, dives
Liber honoratus, pulcher, Rex deniq;
Regum.

Non etiam nulli sunt, qui cum prestan-
tissimis hominum partibus, animo nimirum
& ingenio, paria facere Araneū opinantur.
Etsi enim innumera ex se fila parit, nihil
tamen de corporis integritate decedit, planè
ut cum animo & ingenio fieri assolet, quo-
rum omnes partus, tantum abest, ut vel
quicquam eorum minuant, sed potius in sig-
niam in modum augeant & corroborent.

Jam verò telarum subtilitati & pre-
stantia, quæ potest par oratio inveniri?
cui hominum imitabilis est egregia illius
texturæ elegantia. Ut enim eam aliquan-
tulum delineemus; primum à principio
fila sua quoquò versus distendit, eaq; in cer-
tum orbem effundit, deinde postea in me-
dium se conferens, quod non inscitè acci-
pit, moderatissimo ungue, & tereti ac præ-
cise Mathematicis lineis æquabili filo sta-
mina deducit, neq; alio pondere in ex-
actissimo hoc negotio usus, quam seipso.
Postea, quoque subtegmina aptè inferi,
& cum circulum & lineam rectam

cons

E N C O M I U M

concurrere videt, telam, quam paribus semper intervallis, sed subinde crescentibus ex angusto dilatavit, indissolubili nodo necit.

Functus hoc labore ad alium se convertit, & pediculas animalculorum captura inservientes, seu scutulato reti instructas texit, quas tamen insigni arte occultare novit. Neque enim quisquam est, qui non ad quidvis potius pexitatem illam cribrosa tela destinatam existimet, quam ad insidias locandas. In cubili quoque suo & specu condendo idem observat, quem insigni architecturâ non solum concamerat, sed etiam contra frigora egregiè munit, & quasi in aliud intentus, à medio paullo longius remotum eâ arte texit, ut etiam delitescens in eo facile à quoquam conspici non possit.

Hic verò, qui satis commendabo diligentiam atque industriam, quam in adstruenda telarum firmitate adhibet. Ita enim quasi affigit eas sive arbori, sive muro, sive sepibus, ut neque vi ventorum irrumperantium, neque mole pulverum, neque imbrium repentinâ violentiâ facile dirumpi aut lacerari possint. Illud verò filis precipui firamenti loco est, & ne disturbentur, impedit,

pedi
sing
Pec
dis
nis,
qua
gum
lar
ver
in a
Un
app
que
ra
tion
ant
nes
cem
ad
du
bis
cog
foa
xe

ARANEI.

pedit, quòd non contentus semel nervisse ea,
 singulari labore & industriâ quasi retexit.
 Pedes huic rei operam impendunt, quia cū
 dispares sint neq; omnes ejusdem longitudi-
 nis, idcirco apis sunt nonnulli, ut ijs fila,
 qua spissiora videntur, attenuari & in lon-
 gum protrahi queant; quidam verò ad te-
 larum connexionem sunt necessarij, alius
 verò per fila incedit, ijsdemq; se suspendens
 in aere somnum capit. Ita sapientissimus
 Universi opificem nihil frustra condidisse
 apparet, cum omnia membra & ad certum
 quendam laborem jamdudum sint destina-
 ta, & ad beatam humane vite conforma-
 tionem plurimum utilitatis adferre sole-
 ant.

Quot enim & quàm preclaræ imagi-
 nes, vel in his tantum, qua de textura res
 censuimus, impressæ sunt, quas non solum
 ad intueundam, verùm etiam ad imitan-
 dum optima rectè vivendi Dux Natura nos
 bis proposuit. Illa in Araneo Geometria
 cognitio, quam acri stimulo eorum pectora
 fodit, qui humanioribus studiis operantur.

Contemplamini, qui hic dubitatis, te-
 xentem eum, quàm aptè centrum sibi con-
 stituit

ENCOMIUM

stituat, & ex eo, & circa id, exacte rotunditatis circulos ducat, quorum illos, qui centro sunt propinquiores, aliquantum contrahit, remotiores vero magis dilatate solet, idq; nullius circini ope, sed solo pedum ministerio adutus. Nonne, dum hoc facit, instigare videtur literarum studiosos, ne nobilissimam hanc artem, quasi ut inuilem à se spernant, sed eà, quâ potest, diligentia, in illam, ut summè necessariam incumbant. Subtegmina quoq; infer operi suo, & nodo inexplicabile illud connectit, ut admoneat homines non satis esse leviter aliquid cepisse, nisi etiam ad umbilicum perducatur, & ita firmetur, ut etatè durare possit.

Quàm vero Natura illos homines confundit, qui Stratagemata in bellis procul habent, eorumq; usum, tanquam injustum damnant, cum ipsa Araneos in se verit, ut pedicas & occulta retia hostibus suis tendere studeret, ne non minori negotio & periculo eos conficere posset. Nemo enim est, cui peccius sapit, qui non fateri, & præ se ferre necesse habeat, Imperatorem, qui militari dolo hostes superat, longè præstantiorem eo esse, qui militum suorum prodigus

eos

ARANEI.

eos infestis adversariorum telis in praelio exponit. Alter enim cum Naturam ducem sequitur, tum prudenti pietate civium saluti, cui Scipio magnopere parcebat, consulit; alter verò naturæ contrarius, dum vi & ferro decernit, facit, quod belluarum est, & maximam præterea humano generi cladem infert.

Age porro, ut à retibus Aranei ad domum ejus progrediamur, certè dum eam sibi edificat, inibiq; nulli ferè conspicuus moratur, cum omnibus, tum præcipuè sequiori sexui aureum illud inculcare videatur, quod Testudo Jovi respondit: οἷα Ⓞ Φι-
 λⓄ, οἷα Ⓞ ἀγῆς Ⓞ. Cum enim uniusq; domus sua tutissimum refugium ac receptaculum est, tum inprimis feminas decet, ut domi se contineant, quod & Pbidias in Elea-
 orum Venere ita expressit, ut eam Testudinem calcantem fingeret, quo ipso tacitè significavit, uxoribus domi manendum esse, sitendumq;. Ut enim Araneus & Testudo cū in domo sua degunt, facili negotio periculis se subtrahere possunt; at ubi vel partes aliquas exerunt, tum omnium injuriis fiunt obnoxij, sic etiam cum feminis comparatū est,

E N C O M I U M

est, quae domi tranquille vivunt, sed in publicum crebrius, ac decet, prodeuntes, à nullo non vapulant, atq; ita non minimam integritati suae labem incurrunt.

Nunc & illud repetendum est, quod domum suam non tantum eleganter aedificat, sed etiam ita munit contra omnes injurias, ut disturbari non facile possit. Videtur enim sapientissimi Poetae præceptum, quod proverbij vicem est, secutus esse, quo Patrifamilias inter alia optima nota hoc etiam injungit:

Μηδὲ δόμον ποιῶν ἀνεπιζέσθων κατὰλείπειν.
 Neve domum fabricans linquas mutilamve rudemve.

Neg; verò de aedificij perfectione hoc tantum accipi debet, sed unumquemq; admonet, ut non satis putet, aliquid egregie cepisse, sed cum acta exitus probet, tum demum solidam laudem se meruisse credat, cum benè ceptis bonam quoq; coronidem addiderit. Sunt haec præclara & panè incredibiles illa Aranei texentis virtutes; quid cetera, quas ego paullo post commemorabo, quanta atq; quam multa? nam quo minus hic eas recenseam, Calumniatorum condicia obstant, quae veluti è plaustro

ARANEI.

in Araneum nostrum sparguntur. Ajunt enim homines isti, qui nullam rem sapiunt, operosum hunc telarum laborem, & quaecumq; speciosa sub eo continentur, à nugis & inanis parum, vel nihil differre. Dū vestram fidem! quod utilissimum sapien-
tissima quaeq; gentes censuerunt, id velut quisquiliis, aut rem nibili damnare. U-
nus enim quisq;, cui modo sinciput sanum est, fateri necesse habebit, non aliunde ho-
mines, nisi ab Araneo, lanificium & textu-
ram didicisse, sive contextus perfectionem
& filii subtilitatem spectet, sive tela conti-
nua nodos nexusq; indissolubiles attendat.

Ne hic ad variorum Populorum testi-
monia provocem, vel in solis Romanis re-
rum Dominis videre est, quanti lanifici-
um ac textura artem ab Araneo desumptam
fecerint. Laudabili enim instituto sanxe-
runt, ut in nuptiis colus Sponse preferre-
tur cum lana, ut cingulum esset è lana, ut
lanâ postes velarentur, quibus velut signis
& indiciis operas futuras demonstrare, &
ad lane exercitium nec non tela texturam
adhortari voluerunt. Neq; solum infima
plebs hac operâ sese occupavit, sed etiam

C

primus

E N C O M I U M

primarij ordinis matrone impensissimè in
hanc curam incumbabant. Nam & Au-
gustus Caesar optimus ille Paterfamilias fi-
liam suam neptesq; ita instituit, ut lanifi-
cio non modo assuescerent, sed & ipsa sibi
vestem suisq; conficerent, planè ad Aranei
exemplum, qui, ut Lucretius loqui amat,
vietam vestem ipse sibi textit.

Adde, quod Imperator ille veste non
temerè alia, quàm domesticâ usus est, ab
uxore & sorore & filia neptibusq; confectâ;
Quo & ipso Araneum imitatus est, qui dis-
verso à nepotibus nostris more, nihil illas
vestium delicias & immanis pretij merces
estimat, sed virtute & tela sua se invol-
vens probam pauperiem sine dote querit.
Sed pergunt esse molesti obrectatores, &
quia hic parum se proficere vident, ad au-
thoritatem quorundam confugiunt, qui
hoc nomine ingenti dedecore se Araneum
affecisse opinantur, quod Dialecticas ratio-
nes, & subtilissimam texturam, ut res ni-
bili in vicem comparant.

Rem ridiculam! quod isti ad probrum
ejus valiturum opinantur, eo ad segetem
& materiam dignitatis suæ non modo uti-

tur,

tur,
iude
illam
Judic
tens
comm
irrisi
teris
tant
Janio
mora
rebus
bent
tione
sapie
rem
adju
judic
adre
delec
Arane
in m
runt
lent.
Etors

A R A N E I.

tur, sed & eorum in ignominiam, ut redi-
 undet, facit. Quod enim Dialecticam
 illam Veri & Falsi quasi disceptatricem &
 Judicem contemnunt, non equidem inso-
 lens est aut novum, sed cum Epicuro hoc
 commune habent, qui omnem banc artem
 irrisisse dicitur, & quia etiam Viri in lite-
 teris principes diversum senserunt, non
 tanti sunt estimanda illorum ineptia, ut in
 Janiore sententia amplectenda valde nos re-
 morari debeant. Hi enim, qui aliquid de
 rebus judicare valent, plane reverenter ha-
 bent Dialecticam, eamque esse differendi ra-
 tionem & scientiam dicunt, quae per omnes
 sapientiae partes manet ac diffundatur, quae
 rem definiat, genera dispartiat, sequentia
 adjungat, perfecta concludat, & falsa di-
 judicet, ex qua cum summa utilitas existat
 ad res ponderandas, tum maxime ingenua
 delectatio & digna sapientia.

Videant ergo, quam frustra sint, qui
 Aranei ignominiae tantoperè student, cum
 in mucronem, quem illius jugulo intenta-
 runt, ipsi incurrant, suoque sese gladio jugu-
 lent. Sed quid ego hic Virgilij Maronis au-
 thoritatem addam, cui jure merito ab omni

E N C O M I U M

orbe literato hoc encomium tribuitur, quod unus omnium Poetarum sciverit, quid esset, non ineptire. Ille igitur Culicem suum, quem Augusto Imperatori inscripsit, non veretur cum Aranei textura conferre, ita enim insit;

Atque ut Araneoli tenuem forma-
vimus orsum.

Culicem verò non tironis, sed adulti perfectiq; Poeta opus esse, eruditissimi in literis viri statuerunt, ideoq; quanto major poematio huic bonos habetur, tanto plus ad praestantiam Aranei, qui ei aequatur, accedit.

Neq; verò satis fuit optimo Poeta, se cum animalculo nostro comparasse, sed etiam vocabula, quibus ejus textura exprimitur, suo carmini adaptavit. Orsum enim se formasse scribit, quae verba, etsi in primis Araneum concernunt, à Poetarum tamen Principe & optimis quibusq; Latinae linguae scriptoribus etiam ad alias honestissimas res sunt translata. Quid? quod Astrologi illi siderum speculatores non dubitarunt ab Araneo mutare vocabulum, quod Astrolabio suo insererent.

Cum

ARANEI.

Cum enim nobilissimi hujus instru-
 menti dua sint partes, quarum altera est
 vagina ipsa continens tympana, in quibus
 æquinoctialis tropiciq; describuntur circuli,
 quiq; alternis horis sunt anopho-
 rici: tum verò alteram partem, quæ supra
 tympana est, Aranea nomine appellant,
 in quo Zodiacus & clara quedã sidera cere-
 nuntur, ut per noctem, quocumque sit hora, quo-
 tumq; temporis momentum, reperiamus.
 Physici etiam, non ignobilem Araneo locum
 in humano corpore selegerunt. Illam e-
 nim tunicam, quæ in medio oculi humorem
 crystallinũ in sua sede continetur & vitre-
 um ab albugineo discernit, aptissimo voca-
 bulo Araneum appellant, propterea, quod
 è tenui meninge orta tenuitate sua vescas
 Aranei telas referret. Mirari tamen non
 immerito hic subiret, cum veteres illi Ro-
 mani & præstantissimi quicq; viri tanti il-
 lum fecerint, nisi etiam hoc non nesciremus,
 à priscis inter felicissima omnia eum nume-
 ratum fuisse.

Ut enim nauta viso Castore & Pollu-
 ce vix non tripudiant, ita profecto & illi
 conspecto Araneo non modò ingenti gaudio

E N C O M I U M

efferebantur, sed etiam futura felicitatis signum, inprimis, si à superioribus filum duceret, certissimam venturæ pecunie & divitiarum spem portendi credebant.

Num igitur peccasse existimabitur. Heliogabalus Romanorum Imperator, qui inter seria curarum hoc quoq; aulicis suis in mandatis dedit, ut diligenter omnes angulos perreptarent, extractosq; Araneos colligerent, quibus felicitati & divitiis suis quasi certo documento fidem facere posset. Nam & Euclio ille Plautinus domo abiens de Araneis tantum sollicitus, ita servum compellat:

Araneas mihi ego illas servari volo,
quarum presentia fretus, etiam

Si bona fortuna veniat, ne intromis-
seris,

ait. Non enim latuit callidissimum senem, se presentibus illis eadem felicitatis spe nitere ac sustentari, atq; eâ, quæ à bona fortuna affulgeret. Hinc ego natum existimo jocum Catulli, qui Furio cuidam paupertatem & infelicitatem exprobrans, ei neq; servum esse dicit, neq; arcam, neq; etiam Araneas

ARANEI.

Araneum, quem pro potissimo opulentia
augurio haberi, nemo est, qui ignorat.

Non enim quemquam fore existimo,
tam rerum imperitum, qui non in hanc nos-
stram sententiam pedibus descendat, tam diu
aliquid solidae quietis & felicitatis homines
sibi polliceri posse, quam diu beatissima Ar-
raneorum cobabitatione utuntur: certissi-
simam vero ingruere perniciem, cum re-
lictis sedibus alio migrare occipiunt. Quod
cum ubivis videre est, tum nullibi specta-
tiori documento demonstrari potest, ac in
urbibus & oppidis illustrioribus, qua tum
demum exoptatâ pace fruuntur, cum secu-
rum illis domicilium concedunt. Hi quipa-
pe, cum arma insciant, & stabulantur in
galeis, tunc quasi salutare quoddam si-
gnum erigi videtur ad benè de Reipublica
quiete sperandum. Paci enim rerum op-
tima locus est, religio inoffenso tramite
incedit,

Tutus bos etiam rura perambulat,
Nutrit rura Ceres, almaque Faustis
tas;

Pacatum volitant per mare navitæ
Culpari metuit Fides.

ENCOMIUM

At quàm diversa ab ijs fieri solent, cum Araneis sede sua expulsis, ad arma ventum est, & ea, quæ prius pacatissimis animalculis præbuere hospitium, truculentissimorum hominum corporibus aptantur. Tunc profectò omnium malorum & scelearum procella:

Quà data porta ruunt, & terras turbine perflant.

Sed nec obliterandum est silentio, quod ad veritatem sententiæ nostræ stabilendam maximoperè pertinere videtur; etiam illud incommodi Aranei incommodum sequi, ut flatus & venti vehementiores oboriantur. Observatum enim est à curiosis, quando multa & frequentes per aerem volitarint tela, plerumq; immensos turbines subsequutos, & non mediocria damna tectis & adibus illata fuisse. Hæc tamen omnia, præcipuè verò ædium ruinam divinâ quadam futuri sagacitate præsentire eum consentaneum est. Ut enim Trojâ, cum jam urbem invasuri essent Græci,

Excessere omnes aditis arisque relictis

Dij, quibus imperium hoc steterat:

Ita

ARANEI.

Ita noster imminente ruinâ cum telis primus cadit, & relicto ruinoso hospitio ad novas sedes commigrat, ubi & tranquillam etatem degere, & sine periculo operas suas exercere possit. Insevit quippe magnus ille Natura opifex etiam minimis animalculis aliquam futurorum præscientiam, ut sæpenumero securos homines ingruentium malorum metu à scelere absterreant, & nisi ad sanam mentem revertantur, subsequatur a pœnæ certum faciant indicium. Sic, cum Aquilegia ab Attila obsidione premere- tur, triduo ante occupatam urbem Ciconia omnes cum pullis suis agminatim excedentes presentem urbi interitum prædixere. Sic & noster insolentiores fluminum inundationes prospicit, ideoq; salutis suæ metuens, prudenti consilio telas altius collit, ne violento aquarum impetu disturbentur. An aliud quid hominibus ad imitandum hic proponere voluit sollertissima Parens Natura? quàm diligentem sui curam, ut nimirum ingruentes infortunij fluctus & ipsi vitent, nihilq; tutius esse existiment in periculis

———— Bene quàm munita tenere

C 5

Edita

erat:
Ita

ENCOMIUM

Edita doctrinâ sapientum templa se-
rena.

Inde enim quasvis irati orbis miras
despicient, & cum iucunditate quadam om-
nem invidiæ impetum, & decumanas hu-
mane adversitatis undas frangi atq; elidi
videbunt. Redeamus nunc è tam longo di-
verticulo, quo Calumniatorum iniquitate
abrepti sumus in viam, hoc est, reliquas,
quæ nobis restant, virtutes Aranei conside-
remus, & earum descriptioni temporis ali-
quid et opera impartiamus. Non enim abs-
futurum confido, quin homines intuitu ear-
um veluti face subditi ita ad honestatis &
probitatis amorem inflammantur, ut eni-
xissimè sibi contendendum existiment, ne
ab insectis, quæ tamen bruta vocant, virtu-
te aut ulla re alia superentur. Ac de offic-
iis conjugalis amoris, quæ arctissimè inter
se colunt Aranei, quid ego plura consēter?
Est eis invicem tam religiosa pietas, ut ea
homines in ruborem dare possint, quos cum
aliis animantibus mitiores esse conveniat,
ita tamen truculentos erga conjuges reperie-
re est, ut omnem non amorem, sed humani-
tatem egerasse videantur. Quam enim
muls

ARANEI.

multos videre est, quos malis querimoniis
divulsos, Immortale odium, & nunquam
sanabile vulnus adeo infestat, ut viperarum
quoque scditiam excedant. Longè mihius in-
ter se colunt Aranei, quos irrupta copula
ceu quodam glutine tenet, manentque

Velle ac nolle ambobus idem, sociataque
lato (rebus.

Mens ævo, & parvis dives concordia

Partiuntur inter se labores æquissimam
lance, & quas cuique partes Natura imposu-
it, illas tam constanter obeunt, ut hoc unicum
curare existimes, ne officio suo defuisse vi-
deri possint. Mas enim, quod maritus est, of-
ficium victus curam gerit, quem etiam ve-
natura acquirit exercitij generem & lauda-
bili & multis retrò seculis usurpato: scemi-
na interea, quæ sequiori sexui conveniunt,
diligenter exequitur, & lare suo contenta te-
xendo, & re domesticam curando vitam vivit.
Adeo ne in his quidem animantibus, quæ ra-
tione carere dicuntur, sapientissimus Uni-
versi conditor gynaecocratiam tolerare potuit,
quippe, quam non modo inutilem, sed etiam toti
rerum Nature noxiam atque pestilentem fore præ-
sensit, propterque ea virili sexui, robur, pru-
dentibus

ENCOMIUM

dentiam, animi magnitudinem, imperandi vim dedit, foeminis praeter obsequij & industriae domesticae gloriam parum reliquit.

Jam vero, qua verborum elegantia, illam Graeci prudentiam commendabo, qua de futuro sollicitus, iam egregie sibi prospicit, ut quocumque casu ingruente incolumitatem suam optime tueri possit. Occasioni enim, quam fronte tantum capillatam esse novit, diligenter intentus est, & eam veluti Regulam observans, nunquam labores suos aggreditur, nisi opportuno & plane commodo tempore. Texit, quemadmodum illud hominis Daemonium Aristoteles reliquit, quando amabilis sudi ac sereni caeli jucunditas invitatur, ut nubilo vel pluvio Jove commodius latere & otiosi possit. Sic apes etiam opus suum pergunt, non quidem statis diebus, sed quoties caeli commoditas patitur, quo quidem praclare docent, occasionem suo quamque tempore, utraque, quod aiunt, manu arripiendam, & virtutem esse, secundum Comici verivertium, ubi ea admonet, dispicere, quid factum opus sit. Adolescentes quoque, ne non aliquid salutaris doctrinae hinc asportent, exemplo suo quasi

quasi
juve
tur
que
etas
cut
para
maun
ipsa
pote
lupt
dera
trac
syn
ne
dulc
por
gam

tace
con
emp
eni
ric
fam
hos

ARANEI.

quasi adhortari & instigare videtur, ut in
 iuventutis vere, dum aetas est serena, ven-
 tura quoque senectutis memores sint, quippe,
 quae tota nubila est, & vere à Philosophis
 aetas brumalis & vitæ hiems vocata fuit. Si-
 cut verò hiemi per serenitatem necessaria
 parari convenit, ita & boni mores & opti-
 mum ad senectutem viaticum, modestia, in
 ipsa iuventute seponatur. Fieri enim non
 potest, ut non plena sit futura ingenua vo-
 luptatis senectus, quando moratam & mo-
 deratam iuventutem veneranda canicie
 tradimus, & in vernili aetate laborum ab-
 synthio assuevimus, ut in hieme vitæ & se-
 nectæ infirmitate incredibili beata quietis
 dulcedine recreati omnem superiorum tem-
 porum molestiam & egritudinem abster-
 gamus.

Occurrit jam & illud Aranei, quod
 taceri nequaquam debet, sed ut singularis
 constantia & perseverantia praeclarum ex-
 emplum ab omnibus predicari oportet. Ne
 enim dicam, quod telas suas, si quis lacera-
 rit, texere iterum incipit, quo quidem rei
 familiaris damna sarcienda esse admonet,
 hoc, quo laudum magnam afficiendum
 est,

E N C O M I U M

est, quod tam pertinaciter labori incumbit,
 ut saepe numero operi immoriatur. Increpa-
 re certè videtur hominum degeneres, qui-
 pe etenim ignavia & torpori dediti neq; vi-
 ta necessaria comparant, neq; laborem, ad
 quem à Deo destinati sunt, sustinent, sed
 per varias illecebras & inhonestas dicta cor-
 pus otio, animum libidinibus prostituunt.

Utinam verò vel hoc tantum sine con-
 sisteret deploranda hac segnities, neq; ea
 procul haberet, quæ potissimum ad aeternæ
 salutis incrementa facere debent. Aranei,
 Formicæ, Apes panè ad internecionem tan-
 tis se laboribus frangunt, ut soli corpori ali-
 menta parent, homo; quem Deus humo ex-
 citatum celsum erectumq; constituit, ut cœ-
 li & futura beatitudinis curâ imprimis cape-
 retur, non modò corpus ad humum abjecti-
 negligit, sed animum quoq; desidiâ enerva-
 tum, quem Deo debebat, Diabolo otij pa-
 trono veluti mancipium addicit. Neq; ta-
 men novum est aut insolens, ut cetera ani-
 malia in laboris aut industria contentione
 palmam hominibus praripiant, cum, ut in-
 finita taceam, vel Aranei exemplo pateat,
 quantum virtute sua eos post se relinquant.

Hic

ARANEI.

Hic enim ad laboris patientiam etiam frugalitatis laudem adiicit, neque cibos expetit, quos remoti orbis terra, aut famosa naufragus maria miserunt, neque auro coruscet, aut corpus suum serico fœdat, sed quia ex Cicerone didicit, magnum vētigal esse parsimoniam, ideo maximam continentia laudem statuit, eiq; impensè studet, siue veterum Germanorū exemplo inductus, qui sine apparatu, sine blandimentis famem expellebant, neque vestium delicias opere magno curabant, siue Homericorum Deorum.

Οὐ γὰρ σίτην ἐδοῦσ', ἔπινασ' ἀΐδοντα οἶνον.
Nec fruges comedunt, nec libant munera Bacchi.

Inter homines vero luxuria, ad cuncta, quib. pecunia prodigitur, immensū prorupit, omnesq; à majoribus latae leges, auro bolivione oblitterata, aut, quod magis est, cōtētu abolita sunt, ut sublatis ijs securior & facilior trames effrangi libidini aperiri possit. Hinc clades illa & mala in totū orbē redundantia, qua nō nostrā tempestate tantū, sed omni mundi seculo celeberrimos etiā homines immane, quantū adflixerūt. Sit ante oculos Nero, cuius bestia longa Caesaris tumentis tyrannidē, non vindex cum inermi provincia neque Galba cū una legione cōpescuit,

Hic

ENCOMIUM

pesceat, sed sua immanitas, sua luxuria publicis cervicibus deputerunt.

Securus est istorum omnium Araneus, qui non modò vanam sceptri & divitiarum sortem procul à se spernit, sed ijs etiam nihil indiget, cum amœna vivendi facilitate proximè ad Deos Homericos περὶ ζῶντας accedat. Id quippe maximam partem curas, suaniter ut vivat, nihil anxius (quod pleriq; mortalium facere consueverunt) ne aut in ambitu repulsam patiatur, aut in mari bonis eluat, vel cause iniquitatem apud Judicem tueri non possit. In nido suo tanquam in specula positus omnem aularum vanitatem & caduci honoris typhum deridet, videtq; passim plurimos

Errare, atque viam palantes quæ-
re vitæ,

Certare ingenio, contendere nobis
litate,

Noctes atque dies niti præstante la-
bore,

Ad summas emergere opes, rerum-
que potiri.

Araneus ista Titivilli non æstimat,
sed probam pauperiem, quam bonæ mentis
soro-

soro
deoq;
cum
est,
prod
vadi
stur
vivi
tene
casti
arid
tem
temp
titul
debe
cilen
riis
cesca
mun
esse
confi
lius
to gr
dere

ARANEI.

sororem Petronius appellat, sibi quaerit, ideoque in Regum palatiis raro conspicitur, cum ob luxum, quem noster ferre non potest, capitali odio dissideant. Sua enim neque prodigus dilapidat, neque aliena temere invadit, sed hostium exuviis, qui operas disturbare conantur, contentus, parcissime vivit, & quicquid superest, cum fame non tenetur, diligenter recondit. Hac tam castigata victus ratione Juvenalis inductus aridum eum appellavit, non quidem contemptus aut vituperij igitur, sed ut insignem temperantiam denotaret, idcirco hoc eum titulo descripsit.

Neque enim in banc opinionem delabi debemus, quasi minus bonitatis insit gracilentis & aridis corporibus, cum contrariis & quotidie obviis exemplis clare elucescat, ea, quae minoris sunt molis, ad quaeque munia obeunda & promptiora & alacriora esse, grandiora vero plerumque ad desidia confinia inclinare.

Hoc nec Turcas latuit, qui magni illius Solimanni filium Selimum, quod multo gravis abdomine & inflatis buccis incederet, & praeterea ei vita iners & fere per-

D

vinum

ENCOMIUM

vinum & somnum traduceretur, militari
 facies à pollentâ saginatum, dixerunt. Con-
 tra certè in exili Aranei corpusculo apparet
 tum magnanimitas quaedam, tum calliditas,
 qua cum hoste vel strenuè congredi, vel
 dolo ac arte magistra eum circumvenire no-
 vit. Cum enim omnis textura ratio geome-
 trica proportione constet, ut facilis sit to-
 tius machine gubernatio, ipse, si quid reti
 suo se implicuit, statim sentit, ideoq; casses
 suos contrahens, prædamq; constringens,
 callidi instar venatoris tamdiu telis obvol-
 vit, ut tandem deniq; defatigata & infirma
 facta, ad mortis necessitatem compellatur.

Quæ quidem omnia tantæ sunt artis ac
 dexteritatis, ut nisi quotidie oculis obvia
 usurpentur, non minus fabularum figmen-
 ta credantur, ac illa corvorum in Africa so-
 lertia, qui sicibundi lapidibus in aquã pro-
 jectis eo usq; eam impleto cavo, continente
 elevant, donec rostro attingere liceat.

Sunt hæc stratagemata, quibus minorum
 gentium hostes, utpote muscas, lacertas, alia
 nullo negotio debellat, videamus etiam in-
 gentem animum, & audaciam penè incre-
 dibilem, qua serpentem pestilentissimum a-

animal

idm.

ARANEI.

Animal & majori tum corpore tum robore
 praeditum non aggreditur tantum, sed ita
 aggreditur, ut non ante conquiescat, quam
 in potestatem suam esse videat. Librat se filo
 in caput serpentis porrecta sub umbra arboris
 sua tantaq; vi morsus cerebrum apprehendit,
 ut stridens subinde serpens & ver-
 rigine rotata nequicquam filum desuper pen-
 dentis rumpere conetur, multo minus sub-
 terfugere queat, donec tandem cum morte
 finis sit. Adeo novum non est, ut ea, quae vi
 & membrorum mole pollere videntur, saepe
 tamen numero ab hostibus, quos despiciunt
 habuere, prosternantur, nam & ^{terruerunt multo gra-}
 A cane non magno saepe tenetur aper. ^{visu vixit}
 & plerumq; ad eam partem victoria se in-
 clinat, pro qua & ratio & causa bonitas mi-
 litare solent. At ajunt nonnulli, Araneum
 non virtute superiorem esse, sed vi praesen-
 tissimi veneni serpenti prestare, quo etiam
 hominibus non modo molestus sit, sed inter-
 dum quoq; extremum exitium afferat, ideoq;
 causam non esse, cur tam operose commen-
 detur. Sed o boni, vosne Naturam accusabitis,
 quae sapienti consilio unicuiq; animantium praes-
 idia sua indidit, ut se adversus hostes tueri

ENCOMIUM

eorumq; impetus propellere sciant, aut tan-
topere à veneno vobis metuitis, cum ta-
men bestiis noxiosissimis non indelectemi-
ni. Ejusmodi insectum facilimè commi-
nuere potestis, leones, ursos, feras alias in
homines & semetipsos savientes, ingenti
sumtu comparatis, nec minori sustentatis
periculo. Quin imò domi vestre Natura
insidias vobis comparavit, dum vel canes
in rabiem agit, ut ita, qui corpora vestra
custodire debebant, ipsi invadant, vel quos
sues cibo vestro alitis, ut vobis deinde ci-
bum præbeant, ea ipsa, nisi diligenter pro-
videbitis, infantium vestrorum corpora
in cunis deglutient.

Adhæc Aranei aut viperino morsui
non desunt remedia, fere vestre, si quem
dilaniarunt, non modò de remedio, sed de
salute actum est, neq; vel cadaver crude-
lissime bestia relinquunt, ut supremo se-
pultura honore affici possit. Ergò igitur
fatemur, Araneum veneno noxium esse, sed
in eos, quos sibi nocituros videt, & cum
vis vi repellenda venit; quod tutela genus
qui culpatur, is non modò natura & commu-
ni gentium juri repugnat, sed verò tur-

pissia

ARANEI.

pissimorum scelerum proflugi latam fene-
 stram aperire videtur. Noster verò, tan-
 tum abest, ut ultrò quenquam hominum,
 laceſſat, ut etiam salutem eorum, quantum
 poteſt, conſulat, humanitatis officium ra-
 tus afflictorum vicem dolere, & periculis
 illorum pro viribus intercedere.

Ejusmodi fidem ingenti felicitate sua
 Felix Nolanus expertus eſt, qui cum à ty-
 ranno ad necem quaereretur, & ille in an-
 guſto intervallo, quod duorum parietum
 latebris occultabatur, ſeſe abſconderet, ec-
 ce ſtatim Araneus telis ſuis aditum prate-
 xebat, ne cui recentis latebra ſuſpicio ob-
 oriretur. Impoſitum itaq; eſt ijs, qui No-
 lanum inveſtigare debeant, cum neminem
 eò in loco deliteſcere opinarentur, ubi in-
 tegras & vix dum textas, telas conſpicere
 eſſet. Quanto ergò deteriores ſunt homi-
 nes, qui non modo ſuorum ſaluti non ſtu-
 dent, ſed ſæpenumero vili pretio aut odio
 privato adducti omnia ſacra, profana, pa-
 rentes, amicos cum perpetua ſui infamia
 & dedecore vel hoſtibus produnt, vel ipſi
 met nonnunquam aggredientes fraude ne-
 faria peſſundant.

ENCOMIUM

Execratur noster hoc scelus quàm maximè, credo quia impium juxtâ & abominabile facinus esse è Philosophia sua didicit, cujus contemplationi noctes diesq; impendit. Neq; enim abhorret ab ijs artibus, quibus ad humanitatem informamur, neq; virorum eruditione præstantiũ monumenta negligit, quod animadverti potest præcipuè in Bibliothecis publicis, ijsq; , quæ rarò frequentantur. Ibi enim velut in aternitatis gremio delitescens & securus Regum purpure, ac Magnatum pompose felicitatis, nulli vitæ suæ sortem invidet, dummodo toc illustrium animarum consuetudine uti, & animum in omne scientiarum genus diffunderc tuto potest.

E tota verò Philosophia nihil artius amplecti videtur, quàm Pythagoræ silentium, securitati suæ hac in re consulens, cum nemo sit, qui metuat, ne in Reipublicæ arcana inquirat, & ea foras eliminet, vel hosti prodat. Non enim nescit prudentissimum Animalculum utiliorẽ rem nullam esse silentio, & plures loquendo discrimen subijssse, vix quemquam tacendo.

Quo quidem imitari mihi videtur M.
Cato

ARANEI.

Catonem illa tempestate in Republica Romana λεΐψαιου τὸ χερασ ἦρας, quem dixisse ajunt, cum etiamnum puero vitio daretur taciturnitas, Carpant taciturnitatem, modo vitam probent. Hæc & Araneus de se dicta vult intelligi, qui cum scelerum enormia ἐχευοθία sua evitat, tum inprimis pudicitie sue florem, quem apud plurimos homines impuri sermonis flabris sapissimè emarcuisse constat; illibatum conservat.

Romanorum fidem hic testor, quorum templa, quæ Pudicitie statuta erant, cum vel desertis ab omnibus, vel obscænis tabulis ita essent referta, ut ingenuos puellarum oculos corrumperent, soli Araneo inhabitata sunt. Hic non modo nihil de pristina castitate remisit, sed etiam ne oculorum petulantia lasciva spectacula amplius paterent, pictos tam turpicrimine parietes telis suis undiquaq; obduxit, quod & è Poetæ verbis apparet, qui seculi sui nequitiam deplorans ita queritur:

Non istis olim variabant tecta figuris,

Cum paries nullo crimine pictus erat,

D 4

Sed

ENCOMIUM

Sed non immerito velavit Aranea
fanum,
Et mala desertos occupat herba
Deos.

*Neg, sola Pudicitie templa ejusmodi
solitudine sunt damnata, sed ad reliqua-
rum virtutum ades si progredi animus es-
set, pejerarem in plerisque, neminem quem
quam fore presentem prater Araneum,
qui solus adhuc impendio delectatur vir-
tutum sacratissimarum consortio. Aliud
ex alio argumentum mihi nascitur, adeo,
ut quemadmodum Comicus meus loqui a-
mat,*

Si ante lucem ire occipiam à prima
Aranei laude

Concubium sit noctis, priusquam
ad postremam pervenerim.

*Sed in tanta laudum amplitudine neg,
omnia sub acumen stylis venire possunt, neg,
ego de prudentiorum judiciis tam malè spe-
ro, ut non hæc, que recensui, satis esse pu-
tent & ad Naturæ excellentiam, & ad A-
ranei dignitatem, quam benignissima huic
matri totam debet, adstruendam. Ne-
minem*

ARANEI.

minem enim tam bliteo capite futurum
confido, qui non tot & tanta Natura ope-
ra, quæ in tantillo corpusculo consistunt,
cum singulatiter admiretur, cum illustri
laude prosequatur.

Nam & honestè eum nasci, & ab ipsa
nativitate statim ad laborem & texturam
animum intendere, diximus, qua re
non modò cum sapiente paria facit, sed et-
iam homines ad honestissima quæq; insti-
gat, ut nimirum Geometria dent operam,
solida in opere suscepto constantia, calli-
ditati in bellis, domi continentia assue-
scant.

Quàm verò non flocci eum babuerint
Romani, Poetae, Astrologi, Physici, satis
planum fecimus, sed & magnoperè letati
sunt ejus presentia, non secus ac si ipsa sa-
lus & bona Fortuna prestaret, quippe
quem utramq; paginam facere, & certis-
simum felicitatis, pacis, divitiarum præ-
sagium esse sciebant. Eoq; majoris asti-
mandum putabant, quod etiam de ingru-
ente infortunio se admoneret, & imprimis
ædium & urbium ruinas, nec non fluminum
inundationes instare prædiceret.

D S

Jam

ENCOMIUM

Jam virtutum multivariâ laude homini nequicquam cedere, sed verò prestare patuit, cum equitatem ejus in conjugio, quod sine querela transigitur, prudentiam in texendo, in labore constantiam, in victu frugalitatem & parsimoniam nemo non admiretur. Nam & vitæ genere tum privato tum quieto delectatur, cum hoste verò quoties concreditur, neq; magnanimitas eum, neq; calliditas deficit, erga hominem tamen in primis pius, etiam literarum studium cum eo commune habet, è quibus & taciturnitatem & pudicitiam enixissimè amare didicit.

Cogitate nunc cum animis vestris, qui hætenus vel odio, vel parùm reverenter Araneum habuistis, cogitate, inquam, quàm non modo à verò aberraveritis, sed quàm præterea in Naturam fueritis injuri, qui eum neglexistis, cui ipsa tot sui vestigia impressit, quem sapientissimi quiq; magni fecerunt, qui deniq; tot virtutum laude etiam homines longo post se intervallo relinquit.

Date igitur operam, ut qui antea iudicij

dicij
equ
faci
DE
con
ut p

ARANEI.

dicij vestri errore violatus, nunc ejusdem
equitate recreatus esse videatur; quod dum
facitis & veritati patrocinamini, & ipsius
DEI honori & gloria velificamini, qui, ut
conservat, & cujus plena sunt omnia, ita,
ut proporro Ecclesia, Reipublica & omnia
bus Creaturis bonitate & gratia sua
adesse velit, calidissimis vo-
tis eum posca-
mus.

F I N I S.





L I P S I Æ,
T T P I S L A M B E R G I A N I S



Excudebat JOHAN. Glück.
ANNO

M. DC. XIX.



OK 11/910

VON
111




ULB Halle

3

004 534 867






~~M. 378~~ PK 54, 78 h.M. II, 702
 BERNHARDI GUILIELM
 NÜSSLERI



ENCOMIUM
 ARANEI.

*confer H. Horazium
 l. 2. p. 100.*

Ad
 MAGNIFICVM ET NO-
 BILIS^{VM} VIRVM
 ANDREAM GEIS-
 LERVM.



LIPSIÆ,

Impensis hæredum Joan. Eyringij
 & Joannis Perferti Bibliopolæ
 Wratislaviensium.



ANNO M. DC. XIX.